UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

67. Hirundo: Ex D. Ambrosio: hexam. libr. 5. cap. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

HIRVNDO.

Ex D. Ambroſio hexam. lib. 5. cap. 17.

Deſcriptio LXVII.

HIrundo, minuſcula corpore, ſed egregiè pio ſublimis affectu, quæ indiga rerum omnium, pretioſiores auro nidos ſtruit, quia ſapienter ædificat; *Nidus enim ſapientia precioſior eſt auro*, & cætera, de quibus alibi dictum.

GRVES.

Idem lib. 5. hexam. cap. 15.

Deſcriptio LXVIII.

MAnifeſtum ſane eſt, in Septentrionalem plagam, hyeme grues frequentiſſimas conuolare: nec piguerit meminiſſe, quatenus expeditiones ſuas dirigant. Sub quodam militiæ eunt ſigno, & ne pergentibus ad deſtinata vis flatuum renitatur, arenas deuorant, ſublatiſq; lapillis ad moderatam grauitatem ſaburrantur: tunc ſe tollunt in altiſſima, vt de excelſiore ſpecula metentur, quas petant terras. Fidens meatu præit cateruas: volatus deſidiam caſtigat voce, quæ cogit agmen. Ea vbi fatigata eſt, ſuccedit alia: Pontum tranſituræ anguſtias captant, & quidem eas promptum eſt oculis deprehēdere, quæ inter Taurinam ſunt, & Paphlagoniam, id eſt, inter Caramben, & κριῦ μέτωπον. Cum trans medium alueum aduentaſſe ſe ſciunt, ſcrupulorum ſarcina pedes liberant. Ita nautæ prodiderunt, compluti ſæpè ex illo caſu, imbre ſaxatili; arenas non prius euomunt, quàm ſecuræ ſedis ſuæ fuerint: concors cura omnium pro fatigatis, adeò vt, ſi quæ defecerint, congruant vniuerſæ, & laſſas ſuſtollant, vſq; dum vires otio recuperentur: nec in terra cura ſegnior; excubias nocte diuidunt, vt exſomnis ſit decima quæque. Vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ ſi forte exciderint, ſomnum coarguant: quod cauendum erit, clamore indicant: ætatem in illis prodit color, nigreſcunt enim ſenectute.

APES.

Ex D. Gregorio Nazianz. orat. 34.

Deſcriptio LXIX.

Πόθεν δὲ μελίσσαις τε, καὶ ἀράχναις τὸ φιλεργὸν, καὶ φιλότεχνον, ἵνα ταῖς μὲν τὰ κηρία πλέκηται, καὶ συνέχηται δι' ἑξαγώνων συρίγγων, καὶ ἀντιστρόφων, καὶ τὸ ἑδραῖον αὐταῖς, διὰ τοῦ μέσου διατειχίσματος, καὶ ἀλλαγῆς ἐπιπλεκομένων ταῖς εὐθείαις τῶν γωνιῶν πραγματεύηται, καὶ ταῦτα ἐν ζοφεροῖς οὕτω τοῖς σίμβλοις, καὶ ἀοράτοις τοῖς πλάσμασιν;

VNde apibus, & araneis tantus laboris, atque induſtriæ amor, vt & illæ fauos conſtruant, ac ſexangularum fiſtularum, ſibique inuicem ex aduerſo reſpondentium adiumento contineant, & per intermedium parietem, atque angulos, & rectis lateribus alternatim innexos, domicilium ſuum fulciant, idque in tam caliginoſis aluearibus, obſcuriſque figmentis?

CVLEX.

Deſcriptio LXX.

IN magnis ſiquidem corporibus, aut certè maioribus, facilis officina ſequaci materia fuit; in his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio? quanta vis, quam inextricabilis perfectio? & ſunt alia dictu minora, ſed vbi viſum

in eo